

Sic ex Diana, Laer. Alloza, & alii.

244 Forma est hæc: *Per istam Sanctam Unionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid peccasti per visum, auditum, tactum, &c. debent ergo in forma significari actio ungenti, modus deprecationis, & deprecatio pro remissione peccati, & quidem commissi per sensum. Si dicatur: Ungo te, ut Deus tibi indulgeat quidquid deliquisti per visum, &c. licet hoc non obstat valori Sacramenti secundum Suar. contra alios, tamen praxis illicita est. Laer. lib. 6. p. 2. ex n. 2095. Minister Ordinarius hujus Sacramenti est Parochus, vel alius Sacerdos de ejus licentia: validè autem à quocumque Sacerdote ministratur. Nec potest validè à non Sacerdote ministrari, etiam, ex dispensatione Pontificis. Laer. lib. 6. p. 2. n. 2099. Nec requiruntur plures Sacerdotes, sed unus sufficit. Græci tamen septem, vel saltem tres Presbyteros adhibent. Sed quamvis plures adessent, adhuc esset abusus, quod singuli ungant eandem partem toties repetita forma, ut solent facere Græci. Laer. lib. 6. p. 2. n. 2099. Subjectum hujus Sacramenti est homo viator baptizatus, qui aliquando fuit ratione usus, etiamsi puer, amens, vel furiosus sit: dum tamen sit constitutus in infirmitate lethali, sive procedat ex morbo, veneno, vel vulnere: etiamsi ex sola senectute procedat: nam senectus morbus est: & quidem nulla medicabilis arte. Non datur homini in patibulo suspendendo, vel decapitando, nec inituro prælium, vel periculosam navigationem: cum isti infirmi non sint. Datur infirmis, etiam usu sensuum destitutis. In dubio an puer, vel alius æger sit aliquando usus ratione, vel an sit in mortali, vel an adsit periculum mortis infirmis inungendus est. Nam hoc Sacramentum non tantum est institutum ad peccata, peccatique poenas tollendas, sed etiam, ne æger succumbat tentationibus, & ut sanitati restituatur, si expediat. Laer. lib. 6. p. 2. n. 2085. Res, & effectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur: & oratis fidei salvabit infirmum, & alleviavit eum Dominus; etsi in peccatis sit, dimittentur ei: res etenim hæc gratia est Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, si qua sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo Divinae misericordiae fiduciam excitando, qua infirmus sublevarius, & morbi incommoda, ac labores levius fert, & tentationibus Dæmonis calaneo insidiantis facilius resistit, & sanitatem corporis iterum, ubi saluti animæ expeditur, consequitur. Trid. sess. 14.*

de Extr. Unct. cap. 2. Per peccati reliquias intelliguntur non solum peccata venialia, sed etiam mortalia inculpabiliter non remissa per priora Sacramenta, vel commissa post illa, si nunc ignorentur; partim poenæ peccatorum, & præcipue languor, vel anxietas post peccatum relicta. Sic ex D. Th. & aliis Laer. lib. 6. p. 2. n. 2119. Regulariter, si causa rationabilis non subsit, debet ad hoc Sacramentum conferendum præmitti confessio, & communio: potest tamen conferri ei, qui aliud Sacramentum suscipere non potest: v. g. si sensibus destituitur: imò, & conferri potest ei, qui nondum Eucharistiam recepit, v. g. puero Hoc Sacramentum ommittere, secluso scandalo, & contemptu non est peccatum mortale. Aliqui dicunt B. Virginem hoc suscepisse Sacramentum.

245 Etiam Imperatores, & Reges inungi solent, non tamen Chrismate, sed Oleo catechumenorum. Hæc unctio fit in brachio dextro, humero, vel armò. Juxta illud Isai. 9. v. 6. factus est Principatus super humerum ejus. C. un. §. Undè h. t. l. 1. 3. tit. 4. p. 1. ibi: *Ungir solian à los Reyes en la Vieja Ley con Olio bendito en las cabezas. mas en esta nuestra ley Nueva les hacen unccion en otra manera, por lo que dizeo Isaias, Profeta de nuestro Señor Jesu-Christo, que es Rey de los Cielos, & de la tierra, & que su Imperio seria sobre su hombro. E esto es cumplido, quando le pusieron la Cruz sobre el Ombro diestro, & se la ficieron llevar: porque cumplidamente ganó virtud en el Cielo, & en la tierra: E porque los Reyes Christianos tienen su lugar en este Mundo para hacer justicia, & derecho, non tenudos de sufrir todo cargo, & asan que les avenga por honra, & por ensalzamiento de la Cruz. Por esso los ungen en este tiempo con Olio Sagrado en el ombro de la espalda del brazo diestro, en señal, que toda carga, & todo trabajo que les venga por esta razon, que la sufran con muy buena voluntad, & lo tengan como por ligero, por amor de nuestro Señor Jesu-Christo, que dize en el Evangelio: jugum meum suave est, & onus meum leve. El mi Yugo es manso, & mi carga es liviana.* Hoc oleum, quo unguuntur, significat lætitudinem, & promptitudinem ad debellandum Ecclesie inimicos, & pugnandi pro fide, & ad victoriam obtinendam, sic olim luctatores oleo ungebantur, juxta illud: *Exercent patrias oleo lavante palatras nudati socii.* Et quidem olim non solum Imperator, sed varii Reges inungebantur, ut Reges Gallie, Siciliae, & Hierusalem. Et in nostra Hispania Reges,

Cast.

Castellæ, Aragoniæ, & Navarre, ut de Rege Vvamba; Egica Alfonso VII. & aliis referat Jacobus Valdes. de Dignit. Reg. Hispan. cap. 14. Camil. Borel. de Præstant. Reg. Cathol. cap. 49. Gonz. in c. un. h. t. n. 18.

246 Etiam Ecclesia, cum dedicatur ungitur in parietibus: altare cum consecratur ungitur ab Episcopo prius Oleo simpliciter, deinde Chrismate in cornibus. C. 32. de Cens. D. 1. Calix quando ab Episcopo benedicitur ungitur Chrismate in superficie. Quod desumptum est ex eo, quod Deus Moysi præcepit. Exod. 30. v. 25. 26. 27. ut faceret oleum unctiois, de quo ungeret testimonii Tabernaculum, & Arcam Testamenti, mensamque cum vasis. Et exemplo B. Sylvestri, qui consecravit altare, illudque chrismate perungebat. C. un. §. fin. h. t. l. 16. tit. 4. p. 1. Latius in tit. de Consecr. Eccles.

TIT. XVI.

De Sacramentis non iterandis.

247 Sacramentum sumitur 1. pro juramento. C. 1. de Feriis. Auth. Sacramenta puberum. C. Si adversus vendit. 2. pro re abscondita, & secreta, seu mysterio, seu secreto sacro, sic Sap. 2. v. 22. dicitur: *Nescierunt Sacramenta Dei.* Sic Apost. ad Ephes. 1. v. 9. ait de Deo, ut notum faceret nobis Sacramentum voluntatis sue: sic Tobia 12. v. 7. dicitur. Sacramentum Regis abscondere bonum est 3. pro signo aliquo sensibili nostræ sanctificationis. Et sic sumitur in præsentia, & sæpè in jure. In quo sensu definitur à D. August. in t. 32. D. 2. est invisibilis gratiæ visibilis forma: quam definitionem assert Mag. Sent. in 4. D. 1. q. 1. Et ibid. D. Thom. art. 1. q. 3. ibi: *Dicendum, quod illa definitio Magistri completissime rationem Sacramenti designat, prout nunc de Sacramentis loquimur.* Et ad 5. ait: *Sacramentum non dividitur per sacramenta veteris, & novæ Legis, sicut genus per species, sed sicut analogum in suas partes.* E contra autem rationem Sacramenti esse univocam, tenet Suar. in 3. p. D. 1. sect. 2. Marin. de Sacram. Disp. 1. n. 12. cum aliis: quod quidem conformius videtur modo loquenti. Trid. sess. 7. Can. 2. Conc. Florent. & Catech. S. Pii V. Sacramentum prout ad novam Legem restringitur est signum sensibile à Christo D. stabiliter institutum, collatumque sanctificantis gratiæ ex opere operato, cuiuscumque obicem non ponenti. Sic deducitur ex Conciliis PP. & DD.

248 Sacramenta, veteris legis erant signa gratiæ sanctificantis, seu justificantis, & sicut nostra Sacramenta significant gratiam: quæ re ipsa datur per Christum, ita illa significabant gratiam; quæ erat danda per Christum, juxta illud Apost. ad Hebr. 10. v. 1. *Umbram habens lex futurorum, non ipsam imaginem rerum.* Non tamen causabat gratiam, quam significabant; juxta illud Paul. ad Galat. 4. v. 9. *Quomodo convertimini iterum ad infirma, & egena elementa? Et Gl. ibid. id est: ad legem, quæ dicitur infirma, quia perfectè non justificat.* D. Thom. in 3. p. q. 62. art. 6. Sed tantum conferebant quandam Sanctitatem Legalem, seu munditiam. Ut bene explicat Mag. in 4. D. 1. q. 1. *Quæ enim significanti gratiam tantum instruita sunt, solum signa sunt, non Sacramenta, sicut fuerunt sacrificia carnalia, & observantie Ceremoniales veteris Legis, quæ nunquam poterant justos facere offerentes, quia ut ait Apost. Sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitule aspersus inquinatos sanctificabat ad emundationem carnis, non anime: nam inquinatio illa erat contractus mortui: unde Aug. nihil aliud intelligo, inquinatio-nem, quam lex mundat, nisi contractum mortui hominis.* Sic circumcisio faciebat, quod homo, qui ante inter immundos, & incircuncisos erat, transferretur in Populum Sanctum, & specialiter electum à Deo, juxta illud Exod. 19. v. 6. Deut. 7. v. 6. *Populus Sanctus es Domino Deo tuo, te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei Populus peculiaris de cunctis Populis, qui sunt super terram.* D. Thom. in 3. p. D. 62. art. 6. ait: *Illæ sanctificatio erat figuralis, per hoc enim sanctificari dicebantur, quod applicabantur cultui Divino secundum ritum veteris legis, qui totus ordinabatur ad figurandam Passionem Christi.* Et quidem in veteri lege figura in dupli-ci erant differentia: aliæ erant figuræ tantum, & non Sacramenta, sicut transitus maris rubri, & protectio columnæ, quæ erant figuræ baptismi. Manna, & aqua scaturiens de petra erant Eucharistiæ figuræ; & Nulla ex his erat Sacramentum. Aliæ erant figuræ, & simul Sacramenta, ut circumcisio, quæ erat baptismi figura, esus Agni Paschalis, & esus panum propositionis erant figuræ Eucharistiæ. Consecratio Sacerdotum erat figura Ordinis Sacri. Et pro Sacramento poenitentiae plures purificationes, & expiationes dabantur: quæ omnia Sacramenta erant, ac proinde plura Sacramenta in lege veteri præcesserunt, quam quæ in lege Gratiae inveniuntur. D. Thom. in 3.

3.

3. p. q. 65. art. 1. ad 4. Et q. 70. art. 1. ad. 2.

249 Sacramenta Novæ Legis; ait Concil. Florent. perficiuntur rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma, & insuper debet adesse intentio Ministrî saltem faciendi quod facit Ecclesia, adhibendo simul huiusmodi signa externa. Ad rationem igitur Sacramenti requiritur. 1. Ut sit signum ex Divina institutione. Nam Deus solus confert gratiam, ac proinde ad eum spectat signa instituere, quæ illius collationem significant. 2. Ut sit signum Sacrum, seu Cæremonia Sacra, tum ex parte Authoris, qui est Deus, tum ex parte affectus, qui est gratia: tum ex se, quatenus est cæremonia pertinens ad cultum Dei. 3. Ut sit signum sensibile: nam debet esse accomodatum hominibus qui sensibus signa percipiunt. 4. Ut sit permanens, & stabile, ita ut simili ritu semper conferatur secundum essentialia, licet in particulari consistat in aliqua actione transeunte, ut in ablutione, unctione, &c. Nam ex Sacramentis præcipue Nostra Religio coalescit, & ab aliis distinguitur, ac proinde Sacramenta debent esse stabilia, & permanere, dum permanet religio. 5. Ut tale Sacramentum veram causet sanctitatem ex opere operato, id est, suo usu, & applicatione, per propriam efficaciam: & non tantum ex opere operantis, hoc est, per actum, vel dispositionem ministrantis, vel suscipientis: Hæc tamen dispositio suscipientis ad effectum Sacramenti requiritur, sed non, ut causa, sed tantum ut *conditio, sine qua non*. Hinc Sacrificium ex se non est Sacramentum: Nam ordinatur ad cultum Deo præstandum, non ad gratiam ex opere operato conferendam; Nec actus virtutum, nec Sacramentalia, ut benedictio Abbatis, vel consecratio Virginis, nec lotio pedum Apostolorum, nec insufflatio Christi in Apostolos, nec Martyrium, nec verba Christi ad Magdalenam, & Paralyticum: *Remittuntur tibi peccata*. Nec alia huiusmodi fuerunt Sacramenta: quia non fuerunt signa stabilitè ad gratiam conferendam instituta, vel ex defectu aliarum conditionum: præcipue cum Sacramentum sit signum rememorative eius, quod præcessit, scilicet, Passionis Christi; demonstrativum eius, quod in nobis efficitur per Christi Passionem, scilicet gratiæ, & prognosticum, id est, prænuntiativum future gloriæ: *D. Thom. in 3. p. q. 60. art. 3.*

250 Sacramenta ergo Novæ Legis confert gratiam, & quidem tanquam

causæ instrumentales. *arg. Trid. sess. 6. cap. 7.* Cum Deus sit causa principalis gratiæ. *Apost. ad Rom. 3. Trid. sess. 6. cap. 7.* Et hinc tenendum est, quod Sacramenta non physicè, sed tantum moralitè causant gratiam, quam figurant. *D. Thom. in 4. D. 1. q. 1. art. 4. q. 1. Marid. de Sacram. Disp. 2. sess. 4. contra Suar. in 3. p. d. 9. sess. 2. & alios.* diversè sentiens. Sacramenta Novæ Legis à Christo D. insituta præcisè sunt septem, nec plura, nec pauciora. *Trid. sess. 7. Can. 1.* scilicet. 1. *Baptismus*, per quem spiritualitè renascimur. 2. *Confirmatio*, per quam augemur in gratia, & roboramur in fide. 3. *Eucharistia*: per quam nutrimur, & crescimus in viris perfectos. 4. *Pœnitentia*: per quam sanamur à morbo peccati. 5. *Extrema-Unctio*: quæ removet peccatorum reliquias, & hominem paratum reddit ad finalem gloriam. 6. *Ordo*: per quem Ecclesia gubernatur, & multiplicatur spiritualitè. 7. *Matrimonium*: per quod Ecclesia corporalitè augetur. Et sic vita spiritualis corporali respondet. Nam homo. 1. generatur, & nascitur. 2. roboratur. 3. nutritur, & crescit. 4. curatur, si ægrotat. 5. restituitur pristinae sanitati per convenientem dietam, & exercitium. 6. regitur à Magistratibus, & superioribus. 7. species humana propagatur. Sic *D. Thom. in 3. p. q. 65. art. 1. vid. L. 1. tit. 4. p. 1.*

251 Ex prædictis Sacramentis, alla dicuntur *mortuorum*: quæ scilicet, ex se primam gratiam conferunt, possuntque recipi à peccatore, qui mortuus est peccatum, juxta illud *peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem*. Et talia sunt baptismus, & pœnitentia. Cætera autem dicuntur *vivorum*: quia primam gratiam, in qua vita spiritualis consistit, supponunt in suscipiente. Aliquando tamen possunt causare primam gratiam, & facere de attrito *contritum*, non per se, sed per accidens, v. g. si quis bona fide credens, sed justificatum, cum verè non sit, accipiat Eucharistiam. Is probabilius justificabitur, seu recipiet primam gratiam. *D. Thom. in 3. p. q. 72. art. 7. ad 2. Suar. & som. DD. contra Vazq. & alios.* Aliquando sunt *formata*, quando scilicet formam suam, id est, gratiam conferunt suscipienti: aliquando sunt *informia*, quando scilicet, quamvis valida sint, non habent effectum, nec conferunt gratiam, ea suscipienti, ex eo, quod ab ipso gratiæ obex ponatur, v. g. si adultus in conscientia peccati lethalis constitutus, sine actuali dolore de suis mortalibus baptismum sus-

cipiat: recipit Sacramentum validum, sed informe: ac proinde recedente obice, seu fictione, ex eo quod ponatur contritio, seu attritio cum pœnitentia, reviviscit Sacramentum, & causat gratiam: quod saltem de aliquibus est verum. *D. Thom. in 3. p. q. 69. art. 10. Salmant. tract. 1. cap. 5. p. 5.* Nec vacat amplius de hoc disputare.

252 Effectus principalis Sacramentorum novæ Legis est gratiam conferre, ex opere operato, semper, & omnibus non penitentibus obicem, & ea ritè suscipientibus. *Trid. sess. 7. de Sacram. in genere. Can. 6. 7. & 8.* secundum suam scilicet mensuram, quam Spiritus Sanctus partiensuram, quam prout, vult, & secundum propriam cujusque dispositionem, & cooperationem. *Trid. sess. 6. de Justificat. c. 7.* Gratia in Sacramentorum susceptione est in triplici differentia. Nam primo conferunt gratiam justificantem, seu gratiam facientem, seu sanctificantem; posuntque conferre gratiæ augmentum, si inveniant suscipientem iam constitutum in gratia. 2. conferunt dona, & virtutes infusus, quæ gratiam habituales consequuntur, & cum ejus augmento augentur. 3. gratiam Sacramentalem propriam cujuslibet Sacramenti, quæ consistit in specialibus auxiliis gratiæ actualis, quæ successivè conferuntur prout occasiones occurrunt ad finem Sacramenti spectantes. *D. Thom. in 3. p. q. 62. art. 2. Sic 1. in Baptismo conferuntur auxilia specialia ad dignè suscipiendâ reliqua Sacramenta, ad servanda Christi præcepta, & ad vivendum Christianè. 2. in Confirmatione conferuntur specialia auxilia ad fidem firmitè confitendam. 3. in Pœnitentia tribuitur gratia ad detestanda peccata, & ad satisfaciendum pro delictis commissis. 4. in Eucharistia conferuntur gratia ad præavendas, & superandas tentationes, & ad eliciendum frequentes actus virtutum. 5. in Extrema-Unctione gratiam conferunt ad resistendum tentationibus in periculo mortis. 6. in Ordine gratia datur ad rectè obeunda munera ordinum. 7. in Matrimonio conferuntur gratia ad fovendum mutuum amorem, & servandam fidem conjugalem. Ita *D. Thom. Suar. Bonacin. de Sacram. D. 1. q. 4. punct. 5. Salmant. tract. 1. de Sacram. cap. 5. punct. 3. & alii.**

253 Nulla Sacramenta Legis veteris imprimebant characterem spirituales, sed solum aliquod signaculum corporale, juxta *D. Thom. Suar. & alios*, in Lege verò Gratia tria Sacramenta, scilicet, Baptis-

mus, Confirmatio, & Ordo, præter gratiam, quam conferunt, habent alium specialem effectum, quod scilicet, in anima imprimunt quoddam indelebile signum, quod Græci characterem appellant. *D. Thom. in 3. p. q. 63. art. 2. ibi: Dicendum, quod Sacramenta novæ Legis characterem imprimunt, in quantum per ea deputantur homines ad cultum Dei secundum Ritus Christianæ Religionis. Et art. 6. in Corp. concludit: Per hæc tria Sacramenta character imprimitur, scilicet, per baptismum, Confirmationem, & Ordinem. Et quidem per Baptismum deputatur, & consecratur homo ad cultum Dei, fit membrum Ecclesiæ, & distinguitur ab infidelibus: in Confirmatione datur character tanquam signum militariæ: nam in ea constituitur homo veluti Christi miles ex officio destinatus ad profitendum publicè Christianitatem, & pugnandum pro illa. In ordinatione specialitè deputatur homo in cultum Dei, tanquam proprius Minister Christi, & distinguitur ab aliis Ecclesiæ membris. *Suar. in 3. p. D. 11. ex sess. 1. Salmant. tr. 1. cap. 6.* Alia quatuor Sacramenta non imprimunt characterem: quia per ea non deputantur homines ad aliquem cultum Dei, sed tantum sunt ipsa quidam speciales actus Divini cultus ordinati ad speciales effectus, ut pœnitentia ad remissionem peccatorum: Eucharistia ad nutritionem charitatis: Extrema-Unctio est instituta ad adiuvandum hominem in periculo mortis constitutum: Matrimonium ad adiuvandos homines in oneribus matrimonii. *Suar. in 3. p. D. 11. sess. 1. qui Postea addit, hujus characteris impressionem in tribus prædictis Sacramentis provenire ab institutione, & voluntate Christi: quam dicit esse rationem à priori. Et hoc verum credo. Character immediatè in anima imprimitur, ut ex Conciliorum locutione colligitur. *Trid. sess. 7. Can. 9. & cum aliis tenet Suar. in 3. p. D. 11. contra Thomistas tenentes, imprimi in intellectu. Et Scotistas afferentes recipi in voluntate.***

254 Tri Sacramenta, quæ characterem imprimunt in anima scilicet, Baptismus, Confirmatio, & Ordo, iterari non possunt. *C. 8. de Cons. D. 5. Trid. sess. 7. Can. 9.* Alia quatuor, quæ characterem non imprimunt, iterabilia sunt. Quando *Aug. in C. 74. l. q. 1. ait: Manus impositio, non sicut Baptismus repeti non potest, quid enim est aliud, nisi oratio super hominem?* non loquitur de Confirmatione, quæ nomine manus impositionis significatur

in

in C. un. de Sacr. Unct. sed de manus impositione deprecatoria, seu curatoria, juxta illud Marc. 16. v. 18. *super agros manus imponet, & bene habebunt*. Siquidem varietate erant manuum impositiones, scilicet, 1. curativa; 2. reconciliativa, per quam poenitentibus præcipue publicis dabatur absolutio Sacramentalis. 3. ordinativa, per quam Clerici ordinabantur. 4. confirmativa, per quam confirmationis Sacramentum conferebatur. Si in Sacramentorum administratione aliquid substantiale omittitur, cum tunc non detur Sacramentum, quod sine substantialibus consistere nequit, de novo administrari debet, & tunc solum materialiter iteratur; arg. C. fin. de Presbyr. non baptiz. ibi: *Quia non intelligitur iteratum, quod ambiguitur esse factum, nec in ratum Sacramento sentitur, cum illud non Religionis contemptus, sed articulus necessitatis excludit*. Si aliquid tantum accidentale sit omissum, illud suppletur. Inde, si in confirmatione Episcopus per errorem, non chrismate, sed Oleo benedicto confirmandum unxit, cum Unctio chrismatum non sit de substantia Sacramenti, hoc non iterandum, sed illa solum erit supplenda. C. 1. h. t. ipsum chrismate unguendo, sed non repetita forma, Sic non est iterandum ordo Presbyteri, quando ommissa fuit impositio manuum, illa scilicet, quæ fit ab Episcopo, & cæteris Presbyteris, antequam ordinando tradatur Calix cum vino, & Patena cum Hostia: quia hæc non consecratoria, nec substantialis; sed deprecatoria, & accidentalis est. C. 3. h. t. Similiter, si in consecratione Episcopi non adhibeatur balsamum naturalis, sed artificialis in chrismate: cum hæc Chrismatum unctio non sit de substantia consecrationis, sed solum ex Ecclesie præcepto, non est iteranda dicta consecratio: imò nec debet suppleri unctio per chrisma ex vero balsamo confectum, cum jam sit satisfactum præcepto, & intentioni Ecclesie in admixtione balsami, ut significetur nitor constantiæ, & bonæ famæ odor. Si Sacerdos Oleo Catechumenorum ungeret infirmum, nihil est repetendum, quia licet sit diversa hujus, & olei infirmorum benedictio, non est diversitas substantialis. In his partibus Indiarum ex privilegio possunt Episcopi consecrare chrisma cum minori Clerico numero, & balsamo, qui in his partibus reperitur.

254 Denique Honor. III. rescribens Archiep. London. & ejus suffraganeis, in C. 2. h. t. ait: *A nobis humiliter quasi-*

visis, quid fieri debeat de mortuorum corporibus, qui tempore schismatici, & reprobi Voaldemari à schismaticis sunt sepulti, & de indumentis Sacerdotalibus, cum quibus, necnon de Altaribus, in quibus degradati Presbyteri celebraverunt. Nos autem inquisitioni tuæ breviter respondemus: quod non credimus, ob hoc dumtaxat, sepultos hujusmodi exhumandos aut debere inumenta talia iterum benedici, vel consecrari Altaria supradicta.

TIT. XVII.

De Filiis Presbyterorum ordinandis, vel non.

256 **I**N vetustis Collectionibus hæc rubrica sic concipiebatur: *De filiis Presbyterorum non ordinandis, nec in Ecclesiis paternis tolerandis*. In præsentibus enim titulo agitur de irregularitate, seu impedimento, quod ad ordines suscipiendos habent filii illegitimi, non solum Clericorum, sed etiam Laicorum; quæ irregularitas dicitur *defectus natalium*; siquidem non ex culpa, sed ex defectu provenit. Et etiam decernitur, quod filii, etiam legitimi Presbyterorum non possint patri immediatè succedere in beneficio, vel dignitate, quam habuit in aliqua Ecclesia. Illegitimi ergo dicuntur, qui non sunt procreati ex matrimonio legitimo, verò, vel saltem putativo. L. 12. tit. 6. p. 1. ibi: *Legitimo tanto quere decur, como si se que es nascido segun Ley*. Illegitimi enim ab ordinibus arcentur. C. 1. h. t. à Dignitatibus, Beneficiis curatis, & simplicibus, etiam minoribus. C. 1. h. t. in 6. L. 12. tit. 6. p. 1. Etiamsi defectus natalium sit occultus, ut deducitur ex generalitate. Text. in 6. 1. & c. fin. h. t.

155 Hæc irregularitas etiam in Legge Veteri erat stabilita. Deuter. 23. v. 2. ibi: *Non ingredietur manzer, hoc est, de Sacerdotibus in Ecclesiam Domini, usque ad decimam generationem*. Et in C. 13. *Qui filii sint legit.* dicitur: *Tam Lex Mosaiæ, quam Canonica sobolem susceptam ex adulterio detestatur*. Nam sæpè accidit, quod filii solent imitari, & quasi hæredes fieri inquitantium parentum. C. 10. D. 56. unde erat proverbium apud Græcos: *Mali corvi, malum ovum*. Deinde: quia generatur scandalum in Ecclesia, quando filii illegitimi ordinantur, maximè si in Ecclesia præficiuntur, cum hoc modo renovetur me-

moria incontinentiæ paternæ, & quasi præmio afficiatur, cum potius deberet illegitimum nomen, tanquam ignominiosum, & inhonestum aboleri. C. 11. de Excessib. Prælator. plura Gonz. in C. 1. h. t. n. 6. Qui nascuntur ex coitu Legibus damnato, ut ex adulterio, incestu, vel sacrilegio dicuntur spurii, & hi non legitimum per subsequens matrimonium. Si verò tales illegitimi nascuntur ex parentibus solutis, inter quos sine dispensatione poterat matrimonium contrahi, vel conceptionis, vel natiuitatis tempore, dicuntur filii naturales. L. 9. tit. 8. lib. 5. R. Cast. Hi enim per subsequens parentum matrimonium legitimum, ita ut purgetur matrimonium turpitudine, fiuntque ordinum, & beneficiorum capaces. C. 1. c. 6. Qui filii sint legitimi, ubi de illis, & de legitimitate per rescriptum. Principis latius agemus. Et licet attentò Jure Canonico habilitas ad contrahendum debeat necessariò adesse tempore conceptionis: & ita tenet Suar. de Censur. D. 50. scd. 1. n. 3. Et clarè deducitur ex C. 6. Qui filii sint legit. In praxi tamen obtinuit, sat esse, si habilitas tunc ex his temporibus detur, prout filio magis commodum, & favorabile sit. Sanc. de Matr. lib. 8. D. 7. n. 19. Amaya, Faxardo, Gonz. in C. 1. Qui filii sint legit. n. 12. Et clarè habetur in L. 11. Titul. L. 9. tit. 8. lib. 5. R. C. quare in nostra Hispania hoc nequit in questionem verti, ibi: *Entonces se digan ser los hijos naturales, quando al tiempo que nascieren, d fueren concebidos, sus padres podian casar con sus madres justamente sin dispensacion*.

258 Qui nascitur ex matrimonio, quod saltem ex parte unius conjugis bona fide reputatur validum, licet verè sit nullum legitimum est. C. 14. Qui filii sint legit. ac proinde ordinari potest. Suar. de Censur. D. 50. scd. 1. n. 6. Nec erit irregularis ille, cui solum ex testimonio Patris, vel matris, vel ex rumore constat, esse illegitimum. Siquidem nec adultera tenetur filio suum peccatum detegere. C. 9. de Penit. & remis. nec filius tenetur credere matri etiam in articulo mortis hoc asserenti. Suar. de Cens. D. 50. scd. 4. ex n. 5. nec habetur ut irregularis, si de tali defectu dubitetur. Arg. C. 18. de Sent. excom. in 6. quia in dubiis benignior interpretatio est facienda. Arg. C. 49. de Reg. Jur. in 6. præcipue in irregularitatibus, & idèd exprobrium apud Græcos: *Mali corvi, malum ovum*. Deinde: quia generatur scandalum in Ecclesia, quando filii illegitimi ordinantur, maximè si in Ecclesia præficiuntur, cum hoc modo renovetur me-

gitimus præsumitur nisi probetur: cum delicta non præsumantur. L. 51. ff. pro Socio. Quæ sententia, non solum est probabilis in praxi, sed meo videri, & conformior est juri: optimum tamen consilium erit dispensationem ab Episcopo obtinere, ut tales expositi ordinentur. Suar. de Censur. D. 50. scd. 4. n. 4. Qui natus est ex patre Subdiacono, Diacono, Sacerdote, vel Religioso, & ejus legitima uxore, quando mutuo consensu ad ordines, vel Religionem convolvatur; licet civiliter quoad successionem, & alia legitimum reputetur, quia ex vero matrimonio natus est: Canonice tamen quoad ordines, & beneficia illegitimus habetur, indigetque dispensatione; quia natus est ex copula specialiter damnata, utpotè habita contra votum solemne castitatis. C. 14. h. t. Gonz. ibid. Suar. de Censur. D. 50. scd. 2. ex n. 4. nec novum debet videri, quod quis pro legitimo, & illegitimo diversis respectibus habeatur. C. 13. Qui filii sint legitimi.

259 Quomodo cumque illegitimi, etiam superii per professionem religiosam, etiam Canonicorum, seu Clericorum Regularium, etiam per vota biennii in nostra Societate, & sine alia dispensatione, possunt ad ordines, etiam majores, promoveri, C. 1. D. 56. C. 1. h. t. L. 12. tit. 6. p. 1. Et licet Sixtus V. filios illegitimos ad Religionis ingressum reddidit inhabiles, tamen Gregor. XIV. eam Constitutionem ad Jus Commune reduxit. Suar. de Censur. D. 50. scd. fin. n. 12. quamvis adhuc in aliquibus Religionibus tales illegitimi vi propriarum Constitutionum non admittantur. Idèd enim per Religionis ingressum hæc irregularitas tollitur, quia facilis in Religione, ejus austeritate, & rigore potest corrigi vitiosa propensio talium illegitimum. Et cum Religiosi non adeò frequenter, ac Clerici Sæculares cum Laicis conversentur, non adeò faciliè refricatur memoria incontinentiæ parentum: & præcipue ob Religionis favorem dispensat jus in hac irregularitate. Et cum nullum in jure detur fundamentum ad asserendam reincidentiam in hanc irregularitatem; si semel professi dimittantur, tenendum est, etiam tunc posse, talem dimissum ordines suscipere, amota jam irregularitate per vota. Suar. de Censur. D. 50. scd. fin. n. 14. Et quidem in hac irregularitate non dispensatur præcisè per ingressum in Religionem; id est, ad Novitiatum, ut contra Rodrig. t. 1. q. 99. Regular. q. 13. art. 4. & alios, tenet Sanchez. in Decal. lib. 5. cap. 5.

12. *Gonz. in C. 1. h. t. & alii.* Nam in dicto cap. 1. dicitur: *Nisi Monachi fiant, quæ verba cum effectu debent sumi. Suar. de Censur. D. 50. scilicet fin. n. 12. Gonz. in C. 1. h. t. & alii.* Sed licet per professionem fiant habiles ad ordines, non tamen redduntur habiles ad Prælaturas. *C. 1. h. t. tam intra, quam extra Religionem. L. 12. tit. 6. p. 1. ibi: Non puden aver dignidad, nin persona. Nav. Resp. Lop. Suar. de Censur. D. 50. scilicet fin. n. 15.* Nec possunt habere beneficia curata. *Arg. C. fin. h. t. nec Moniales possunt eligi in Abbatissas, Priorissas, vel Prælatas, etiam temporales, nisi cum illis dispenseretur, ut ex generalitate. Tex. in C. 1. h. t. clarè deducitur, & tenet Sanchez in Decal. lib. 5. cap. 5. n. 19. & alii, contra Rodrig. Mirand. & alios.*

260. De Jure Communi solus Pontifex dispensat cum illegitimis ad Ordines majores, Dignitates, Prælaturas, Personatus, & Beneficia curata. *C. fin. h. t. etiam si defectus sit occultus. Suar. de Cens. D. 50. scilicet 5. n. 5.* Ad Ordines verò minores, & Beneficia simplicia, ad Canonicatus Ecclesiæ Collegiatis, ad dimidias Portiones Cathedralis, etiam habeant annexam Ecclesiam Parochialem, potest dispensare Episcopus. *C. 1. h. t. in 6. junct. Barb. de Offic. Episc. alleg. 45. ex n. 19.* possunt dispensare Episcopus, etiam non consecratus, dum sit confirmatus. *Arg. C. 15. de Elect. ceterique Prælati, qui jurisdictionem, quasi Episcopalem habent, & Capitulum Sedevacante. Suar. de Censur. D. 50. scilicet 5. n. 6. Barbos. de Offic. Episc. alleg. 45. ex n. 25.* non tamen potest hodie Episcopus, sicut olim poterat dispensare cum illegitimo ad Canonicatus Cathedralis: nam ad hos ex *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 1.* requiritur Ordo Sacer. *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 45. ex n. 31.* Si Episcopus defacto, licet non de jure, his illegitimis Sacros Ordines contulerit, tenetur eis beneficium dare. *C. 6. h. t. ne cum opprobrio Ordines Clericales mendicare cogantur. C. 23. D. 93.* In Indiis tamen possunt Episcopi cum illegitimis, etiam quoad Ordinis majores, & beneficia curata Indorum dispensare. *Solorz. de Jur. Indiar. t. 2. lib. 3. cap. 7. n. 24.* & constat ex solitis. Prælati Regulares possunt dispensare cum suis subditis, si illegitimi sint, etiam ad Prælaturas; sed non nisi in Capitulo Generali, vel Provinciali. *Greg. XIV. apud Rodrig. t. 2. Reg. 99. 2. art. 2.* Dispensatio super defectu natalium, ut exorbitans à jure, & odiosa restringenda est. *C. 1. §. 1. h. t. in 6. nec in ea valet*

argumentum de majori ad minus, nec extenditur ad eum habentem in se majorem rationem. Sic dispensatio ad ordines, non extenditur ad majores, nec ad beneficia, cum separabilia sint. Dispensatio ad beneficia non extenditur ad curata, multoque minus ad Dignitates: nec dispensatio ad dignitates extenditur ad habentes curam animarum. Nec dispensatio ad beneficium curatum extenditur ad duo beneficia obtinenda. *C. 1. §. 1. h. t. in 6.* imò illè, cum quo in defectu natalium fuerit dispensatum ad beneficium curatum obtinendum, si hoc tacito, aliam dispensationem ad plura beneficia obtinet, erit nulla, quia subreptitia, talis dispensatio. *C. 2. h. t. in 6. Barbos. de Offic. Episc. alleg. 45.* non tamen adè strictè est intelligenda, ut non extendatur ad connexa necessario, & inseparabiliter, ne suo effectu frustretur. *Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 1. n. 19.*

261. In Beneficiis Ecclesiasticis ea, quæ successione hæreditaria imaginem referunt, Sacris Canonibus semper fuerunt odiosa, & Patrum Decretis contraria. *Trid. sess. 25. de Ref. cap. 7.* Hinc sine Pape dispensatione, filii, etiam quos ex matrimonio legitimo, ante Ordinem Sacrum, Clerici habuerunt, non possunt immediate succedere suis parentibus in beneficia, quæ ipsi parentes cum jure in re, & titulo obtinuerunt. *C. 11. c. 13. c. 17. h. t.* possunt tamen simul cum patre obtinere, vel ante, vel post, diversum beneficium. *C. 12. h. t.* Nam cum duo sint beneficia, non datur successio. Si verò pater habuisset Vicariam temporalem, posset filius immediate succedere. *C. 8. h. t.* quia cum talis Vicaria non sit collata in titulum, vel cum jure in re non censetur dari successione. Imò potest filius legitimus absque dispensatione obtinere idem beneficium, quod ejus pater habuit, si inter ipsum, & patrem, alia persona extraneæ intercessit, cum tunc non patri, sed extraneo prorsus succedat. *C. 7. h. t.* Et licet nepotes, attento Jure Communi, possent succedere Avo in beneficio. *C. 2. de Arbitr. multoque magis nepotes transversales, id est, filii fratres. C. 12. de Offic. Deleg. quia in materia odiosa, qualis est presens, nomen filii non extenditur ad nepotem, multoque minus ad alios consanguineos. Hodie tamen à beneficio, quod habuit Avus excluditur nepos, ut sic magis radicatis species successione tollatur. Ex Declarat. Cardin. Gonz. in C. 17. h. t. n. fin.*

226. Denique circa filios illegitimos Clericorum (nam de legitimis nihil innovatum est) sic statutum est in *Trid. sess. 25. de Ref. cap. 15. ibi: Ut paterna incontinentia memoria à locis Deo consecratis, quòs naximè puritas, sanctitasque decet, longissimè arceatur; non liceat filiis Clericorum, qui non ex legitimo nati sunt matrimonio, in Ecclesiis, ubi eorum parentes beneficium aliquod Ecclesiasticum habent, aut habuerunt, quodcumque, etiam dissimile beneficium obtinere, nec in dictis Ecclesiis quoquomodo ministrare, nec pensiones super fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel alias obrinuerunt, habere.* In quo decreto comprehenduntur filii naturales, etiam ante Clericatum suscepti, si per subsequens matrimonium non legitimentur. Etiam comprehenduntur illegitimi legitimati per Rescriptum Principis, nisi hoc impedimentum sit ablatum: Nec possunt etiam mediate succedere: etiamsi pater sedem tantum, aut locum in Ecclesia habuisset, etiam sine fructibus: nec possunt ministrare ex officio, etiam sine beneficio, aut titulo, v. gr. ut Cooperatores, Sacellani, Cantores, vel Sacrista possunt tamen ex liberali promotione, vel etiam ad elemosinam promerendam hoc facere tales illegitimi. Nec Religiosus illegitimus potest ministrare, ubi pater ejus beneficium obtinuit. *Ex Cons. Greg. XIII. Circumspecta, Ann. 1590.* Nec potest filius illegitimus admitti in Religionem, in qua pater ejus professus est; si vivit: ipso tamen mortuo potest admitti. Potest tamen filius habere beneficium in Ecclesia, in qua pater ejus inservivit, ut Capellanus, vel Cooperator amovibilis, si beneficium non habuit, nam hoc requiritur à Concilio. Nepotes nullo modo hoc Decreto comprehenduntur, quod ut odiosum, & de filiis expresse conceptum non extenditur ad nepotes, etiam illegitimos ex filii illegitimis. Filius illegitimus potest succedere in Capellanis, quæ fundari solent absque Episcopi, vel alterius superioris autoritate, ut in eam succedant Clerici de parentela: Nec aliter, quam de Pontificis dispensatione, & quidem in specie, potest filius illegitimus contra hoc Decretum succedere. Pater verò non prohibetur succedere, etiam immediate in beneficio filii, etiam illegitimi. Quæ omnia ex variis Declarationibus desumpta sunt. Et latius afferunt *Nicol. Garz. de Benef. p. 7. cap. 3. per tot. Barbos. de Offic. Episc. alleg. 65. per tot. & alii, qui etiam referunt Cons. Clem. VIII. Ad Canonum Conditorum. Ann. 1533.*

TIT. XVIII.

De servis non ordinandis & de eorum manumissione.

363. UNUM ex impedimentis ad ordines suscipiendos est servitus, quæ quidem definitur à Justiniano sic: *Est Constitutio Juris Gentium, qua quis dominò alieno contra naturam subicitur. Natura enim omnes homines nascuntur liberi. Libertas enim est naturalis facultas ejus, quod cuiusque facere libet, nisi quid vi, aut jure prohibetur.* Contra hanc legitur naturalem facultatem, servitutem indidit quædam fatalis necessitas: sed non ad eam improba, ut non fundetur in Jure Naturali defensionis, & conservationis vitæ. Servi enim ex eo appellati sunt, quod imperator Captivos vendere, ac per hoc servare, nec occidere solet: qui etiam mancipia dicti sunt, eo quod ab hostibus manu capti fuerunt. Si his libertas dabitur debebantur Libertini, ad distinctionem eorum, qui liberti nascebantur, & appellabantur ingenui. Hi, quibus libertas dabitur dicebantur manumissi: datio etenim libertatis dicitur manumissio, quasi de manudatio: nam quando aliquis in servitute est, manus, & potestati sui Domini suppositus est, à qua potestate manumissus liberatur. Servi ergo proprie tales irregulares sunt, nec possunt licite ad ordines promoveri. *Can. 81. Apost. C. 1. & per tot. D. 54. C. 1. C. 2. h. t. L. 18. tit. 6. p. 1. ibi: Ordenado non debe ser ninguno que sea sierro, a menos de ser primero ferro. Ne Divini ministerii dignitas, servilis conditionis vilitate dedecoretur. C. 12. D. 54. ibi: Cum nro ipsam ministerii Clericalis hac obligatione offuscari conveniat dignitatem. Et cum servi à militia terrestri arceantur. L. 8. ff. de Re militar. etiam à militia Cœlesti debent arcefi, cum de una ad aliam militiam bene valet argumentum. C. 1. de Renunti. ar. Debet enim Essammunis ab aliis, qui Divina militia est aggregandi, ut à Castris Dominiis, quibus nomen ejus ascribitur, nullis necessitatibus vinculis absterabatur. C. 1. D. 54. quatuor hoc Ordine Custodito, nec Dominio eyn jura, nec privilegia ulla ratione turbentur. C. 9. D. 54.*

264. Non Episcopus, C. 2. h. t. sed solus Papa in hoc Ecclesiastico impedimento, seu, irregulartate dispensat; *arg. C. 4.*

de Conces. Præbend. idque raro, ne Dominis præjudicet. Hoc tamen impedimentum manumissione tollitur, dum tamen in ipsa manumissione non sibi Dominus reservet obsequium, vel operas temporales. Servus ergo manumissus, si et est data plena libertas sine reservatione obsequii, vel operarum temporalium potest ordinari, sine alia omnino dispensatione: cum jam sit plene, & perfecte liber, & secus si Dominus sibi reservavit operas temporales. C. 15. D. 54. potest tamen Dominus sine periculo simoniae, aliquas operas spirituales in seruo ordinando sibi reservare; v. gr. certas Missas pro se legendas, ipseque debet, præstare suo Domino: quod si post ordines susceptos tales operas præstare recuset, deponendus est. C. 4. h. 1. Si servus ordinatur priusquam manumittatur, sequentes casus distinguendi sunt. 1. servus, qui Domino sciente, & non contradicente ordinatur, etiam prima tonsura, habetur interpretatione juris pro manumisso à Domino, & fit liber. C. 20. D. 54. L. 18. tit. 6. p. 1. 2. Si ignorante Domino fuit in minoribus ordinatus, potest Dominus eum in servitutem revocare intra annum à notitia ordinationis habita, & erit servus, ut antea, quia gaudet privilegio fori, nec Canonis. C. 2. h. 1. C. 10. D. 54. L. 18. tit. 6. p. 1. 3. Si ignorante, vel contradicente Domino fuit in Sacris Constitutus, & Episcopus sciebat, esse servum, liber fit ipse servus ordinatus, sed Episcopus tenetur Domino reddere duos servos, æquæ bonos, vel eorum æstimationem, C. 19. D. 54. L. 18. tit. 6. p. 1. alterum quidem in damni compensationem, alterum in ordinationis improbe poenam. Gonz. in C. 2. h. 1. n. 8. 4. Si ignoravit Episcopus, esse servum, & illum, Domino ignorante, in Subdiaconum, vel Diaconum ordinavit, ipse ordinatus dabit Domino Vicarium, id est, alium servum æqualem, vel sui æstimationem de peculio, si ejus usum habeat, vel si nihil horum valeat præstare ipse servus Domino repetenti erit restituendus, & iterum in servitutem reddendus. L. 18. tit. 6. p. 1. & ab Officio Sacro suspenditur, & privilegium fori amittit, manet tamen voto castitatis ligatus. C. 9. D. 54. junct. Gloss. Et licet gaudet privilegio Canonis, quoad alias personas, non quoad Dominum, à quo poterit, ut antea corrigi, & verberari, ne ipsi fiat præjudicium; arg. C. 2. D. 54. quod si intra annum à die notitiæ non repetat Dominus suum servum interpreta-

tionem juris pro manumisso habetur. C. 20. D. 54. 5. Si ignorante Episcopo fuit servus ordinatus Sacerdos, etiam ignorante, vel contradicente Domino, liber omnino fit. C. 9. D. 54. Et peculium si quod habet cogitur Domino cedere. C. 9. D. 54. vel si non habeat peculium, Domino in spiritualibus officiis serviet, ut modo quo possit Domino satisfaciat. C. 10. D. 54. L. 18. tit. 6. p. 1. ibi: *E si non fallare que le tome, pue dele se acr consigo, que le diga las horas; o que le sirva en otro lugar de aquel Officio, que a Presto pertenesca, e esto es por honra de la Orden que rescivio.*

265. Si vero, Domino ignorante, servus fraudulentè religionem ingreditur, Domino illum repetenti intra triennium restituitur, cum omnibus, quæ attulit, fidem tamen à Domino accepta de impunitate. C. 3. l. 7. q. 2. ipse tamen manebit voris adstrictus, & religioni quantum in ipso est. Si Monasterium sic in culpa non repetetur servus, sed Monasterium satisfaciet Domino, secundum boni viri æstimationem. *Mirandulan. Prælat. tit. 1. q. 17.* Et si valde deceat, quod filius familias requirat consensum patris, ut ordines suscipiat, simpliciter tamen non est necessarium, cum illo jure licet imponatur necessitas: si eum potest Religiosus sine Abbatis licentia adstrictorem ordinem transire. C. 18. de Regulari. Nec Clericus, nisi sit Dignitas Episcopalis, liberat à patris potestate; bona tamen in Clericatu adquisita ipsis Clericis tanquam bona Castrensia adquiruntur, & de proinde liberè de illis disponere valent. L. 34. Auth. Sed Episcopalis. C. de Episcopis & Clericis. L. 63. tit. 5. p. 1.

III. XIX.

De Obligatis ad ratiocinia ordinandis, vel non.

266. NON possunt licitè sine dispensatione Pontificis ordinari, qui ob publicam, seu privatam administrationem sunt obligati ad ratiocinia, seu rationem reddendam, nisi prius à ratiociniis absoluti sint. Tales sunt Thesaurii, Quæstoros, Collectores tributorum, Conductores Vestigialium, vel Fisci, Tutores pupillarum, Actores, Procuratores, Executores, Depositarii, obligati militia, & si qui sunt alii. C. un. h. 1. C. un. D. 53. ubi taliter implicati Curiales

dicuntur. Possunt tamen ordinari, qui sunt Procuratores, Tutores, miserabilium personarum, Tutores legitimi agnatorum, quia hoc etiam Clericis permittitur. C. fin. D. 86. C. 1. 21. q. 3. L. 23. tit. 6. p. 1. idem dicendum est de Administratoribus Ecclesie, vel causa pie, de Cancellariis, & Consiliariis Principum, de Judicibus Causarum Civilium, & de illis, qui non ex administratione rei alienæ, sed ex aliquo contractu, v. g. promissione, vel mutuo tenentur aliis rationem reddere. Hi enim bene possunt ordinari. Similiter, & alii, qui fuerint rerum temporalium Administratores, relicta administratione privata, vel publica, redditisque rationibus, licet debita contracta nondum solverint, præstita tamen cautione, vel cessione facta. *Suar. de Censur. D. 51. secl. 3. n. 23. & alii.* Ratio præsentis prohibitionis est, ne Ministri Ecclesiastici variis litibus vexentur, & ut ipsis intersit à sacris ministeriis distrabantur, & ipsa Ecclesia ex Ministrorum distractionem infametur; arg. C. un. h. 1. ibid. *Gonz. n. 8.* ex illa generali ratione *Apos. 2. ad Timot. 2. v. 4. Nemo militans Deo implicat se negotiis Secularibus.* Deinde, quia præsumitur taliter obligatos, ordines suscipere, magis animo fugiendi ratiocinia, quam desiderio sincero serviendi Deo. C. un. D. 53. L. 23. tit. 6. p. 1. optime *Suar. de Censur. D. 51. secl. 3. p. tot.*

TIT. XX.

De Corpore vitiatu ordinandis, vel non.

267. ANiqui ex vitio corporis, animi vitium arguebant: & ideo inter Vestales non admittebatur femina aliqua parte corporis mutila, multoque minus in Sacerdotem cooptabatur aliquod simile vitium patiens. Nam ut Seneca agebat, Sacerdos non integri corporis quasi mali hominis res vitanda est: sicut è contra è corporis elegantia, animi virtutem inferebat, juxta illud: *Gravior est pulcro veniens in corpore virtus.* Sic etiam in Lege Veteri erat statutum. *Levit. 21. ex v. 17. Homo, qui habuerit maculam non offeret panes Deo suo: nec accedet ad ministerium ejus; si cæcus fuerit, si claudus, si parvus, vel grandi, vel torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippius, si albuginem habens in oculo, si jugum*

scabiam, si impetiginem in corpore, vel herinosus. Similiter in Jure Canonico ad exemplum Legis Veteris habetur tanquam irregularitas, & impedimentum Canonicum ad ordines suscipiendos, corporis vitium. C. 4. & seqq. D. 55. C. 1. & per tot. h. 1. si hic defectus, vel irregularitas ante ordines susceptos habeatur, impedit etiam primæ tonsuræ susceptionem, quamvis ille defectus solum unum actum ordinis principalem impediatur. *Suar. de Censur. D. 51. secl. 2. n. 12.* si vero post ordines susceptos superveniat sine culpa ordinati, dicendum est cum *Eugen. Pap. in C. 2. de Cleric. Egrot.* ibi: *Presbyterum, cuius duos digitos cum medietate palmæ à prædono abscisis significasti, Missam non permitimus celebrare: quia nec secure propter debitatem, nec sine scandalo propter deformitatem membri, hoc fieri confirmamus: ipsum autem ceteris officiis Sacerdotalibus fungi minime prohibemus.* *D. Thom. in 3. p. q. 82. art. 10. ad 3.* Ex hac generalitate ad casus particulares descendere oportet.

268. Hoc impedimentum provenit ex variis Capitibus. 1. ex mutilatione. 2. ex culpabili abscissione. 3. ex debilitate. 4. ex deformitate. 5. ex morbo. Mutati ergo sunt, qui carent aliquo membro: membrum est quælibet pars corporis, quæ aliquam peculiarem functionem, seu officium habet distinctum ab aliarum partium officio, & munere. Hinc membra sunt, brachium, lingua, oculus, manus, nares, aures, pedes, & alia hujusmodi. Hi enim irregulares sunt. C. 1. C. 2. C. 6. C. fin. h. 1. L. 25. tit. 6. p. 1. *Cân. 77. Apostol. ibi: Qui vero manus, surculos, & cæcus est, Episcopus non efficitur: non quia obsecro corpore est, sed ne Ecclesiastica impediatur munia.* Tales mutilati non sunt apti Sacris ministeriis, cum illa nequeant exercere: imò aliqui consent, tunc non tam irregularitatem, quam incapacitatem Juris Naturæ dari, sive membro totali, sive parte illius careat ordinandus. Hinc ordinari non potest mutilatus manu. C. 6. h. 1. nec ille, cui duo digiti cum medietate palmæ sunt abscisi. C. 2. de Cleric. Egrot. sic qui pollice, vel indice integre caret, non potest ordinari, quia illi digiti sunt valde necessarij ad fractionem, & elevationem Hostiæ. C. 1. C. fin. h. 1. Si vero digito pedis, vel manus sinistra, imò & aliis dextræ careat, ordinari potes. C. 11. D. 35. L. 25. tit. 6. p. 1. Nec defectus partis pollicis, vel indicis obstat, si usum ordinis non impediatur.

C. fin. h. t. Claudus non est irregularis, si absque baculo, & pede ligneo ad altare accedere; stare, & ordinum functiones obire possit, quamvis unum crus sit brevius altero, nisi magna sit deformitas. *Lacroix l. 7. n. 504.* Si verò non possit in altari sine baculo sustentari, non posset ordinari. *C. 57. de Cons. D. 1.* Nec ille, qui pede ligneo indigeret, tùm propter deformitatem, tùm propter scandalum; adeò, ut quamvis esset iam Sacerdos deberet à celebratione Missæ cessare. *Ut ex c. 2. de Cleric. egrot. deducit Greg. Lop. in l. 25. tit. 6. p. 1. v. Dado del pie.* Si verò dens, vel alia pars, quæ membrum non sit, alicui deficiat, si aliunde ordinis exercitium non impediatur, non erit irregularis. *L. 25. tit. 6. p. 1.* Quod si post ordines susceptos accidat mutilatio, solum prohibetur exercitium ad quod datur impedimentum. *C. 2. de Cleric. egrot.* Hinc si talis non potest ministerium Missæ exercere, poterit in Diaconatu, & aliis gradibus ministrare, predicare, confessiones audire, &c. *v. g. Si Sacerdos sit cæcus, poterit confessiones audire, quamvis Sacrificium non faciat, si est surdus Missam dicere poterit, & sic de aliis discurrendum erit Suar. de Censur. D. 51. sect. 2. n. 13. Barbos. de Offic. Episc. alleg. 42. n. 27. & 55.*

209. Irregulares sunt, qui ex propria culpa, & quidem mortali sibi amputant membrum, vel partem membri, etiamsi talis abscisio, non impediatur notabiliter ordinis exercitium, nec inferat magnam deformitatem, ob crudelitatem, & sævitiam, quam in se ipsos exercent. *Can. 22. Apost. c. 6. D. 55. c. 2. D. 33.* in Creatoris irreverentiam; quia nullus est Dominus membrorum suorum. *L. 13. ff. ad leg. Aquil. Can. 23. Apostol. Suar. de Censur. D. 51. sect. 2. n. 6.* Hinc irregulares sunt, qui sibi virgilia abscindunt, vel abscindi permittunt, etiamsi hoc fecerint bono zelo, quamvis indiscreto, servandi castitatem; etiamsi defectus sit occultus, nec culpa sit notoria. *L. 25. tit. 6. p. 1.* cum hæc irregularitas non imitatur notoriæ tati culpæ, sed crudelitati in se exercitæ cum Creatoris irreverentia. *C. 4. D. 55.* ibi: *Siquis accipiat semetipsum (id est, si quis amputaverit sibi virgilia) non fiat Clericus, quia sui est homicida, & Dei conditionis inimicus. C. 5. D. 55.* ibi: *Hi, qui se, carnali vitio repugnare nescientes, abscindunt, ad Clerum pervenire non possunt; Quando Christus D. laudat apud Matth. 19. v. 12. Eunuchos, qui se castraverunt propter Reg-*

nium Cælorum. Non debet hoc sumi litteraliter, ut sonat, ut fecerunt Origines, Leontius, & Hæreticæ Valesiani; sed debet intelligi spiritualiter de eis, qui continentiam, & castitatem servant. *Juxta D. Aug. Abul. Barbos. de Offic. Episc. all. 42. n. 12. Gonz. in c. 5. h. t. n. 8. Salmant. tr. 10. de Censur. cap. 9. n. 74.* Qui dedit causam culpabilem mutilationi, quamvis eam non velit directè: *v. gr. si quis rixando, vel deprehensus in adulterio fuit mutilatus à marito adulteræ, vel à iudice in poenam delicti, vel à Medico ob morbum contractum, verius est irregularis in puncto juris ex c. 1. h. t. ibi: Potes cum eo misericorditer agere, & permittere ipsum in suo Ordine ministrare.* Quæ verba accepta juxta rubricam, sub qua jacent: *de corpore vitiatu ordinandis, vel non:* Clarè irregularitatem indicant. Et sic tenent *Suar. de Censur. D. 51. sect. 2. n. 8. Barb. de Offic. Episc. alleg. 42. ex n. 15.* Irregularitatem in hoc casu non incurrit, quia non expressam in iure, juxta *C. 18. de Sent. Excommunicat. in 6. dicitur Nicol. Garo. de Benef. p. 7. cap. 12. n. 9. Gonz. in c. 1. h. t. n. 30. Salmant. tr. 10. de Censur. cap. 9. n. 70.* Et quidem omnes satis probabiliter. Qui fuit causa culpabilis mutilationis alterius, etiam irregularis est. *C. 9. Ne Clerici vel Monach. c. 19. de Homicid.* Talis mutilatio culpabilis facit irregularem omnimò, & absolute ad omnes ordinis actus etiam, qui se mutilavit, etiamsi superveniat post ordinationem; adeò, ut omnem actum ordinis impediatur; & in hoc differt ab irregularitate, quæ provenit ex mutilatione involuntaria. *C. 2. de Cleric. egrot.* Et ab ea, quæ à morbo, & debilitate provenit. *D. Thom. in 3. p. 4. 82. art. 10. ad 3.* Qui sine culpa abscisus est *v. gr. sectus in canabulis, vel qui per insidias factus est Eunuchus, vel ita natus est, vel qui de Consilio Medici fecit virgilia sibi abscindi, vel aliud membrum: quia sic expedit ad corporis salutem, & conservationem vitæ: si talis mutilatio non impedit congruum ordinis exercitium, nec deformitatem notabilem afferat, vel scandalum pariat, non est irregularis. C. 3. h. t. C. 6. D. 55.* ibi: *In illis enim voluntas est judicata, quæ sibi ausa fuit ferrum injicere: in istis vero casus veniam meretur. L. 25. tit. 6. p. 1. c. 8. D. 55.* ibi: *Eunuchus, si per insidias hominum factus est, vel si in percussione ejus sunt amputata virgilia, vel si ita natus est, & est dignus, fiat Episcopus.* Et *Glos.* Non est ergo necesse servare eam illam, vel pulchritudinem, ut dicunt vulgares. Et

ratio non incurrendi irregularitatem in his casibus, est: nam sine causa, vel culpa non imponitur irregularitas. Et hic nec culpa est, supponimus, nec causa, quia nec impedit usum ordinis, nec deformitatem inducit. *Suar. de Censur. D. 51. sect. 2. n. 10.* Irregulares etiam sunt ob identitatem rationis, qui vocis servanda causa se castrari permittunt. *Arg. c. 6. D. 55. junct. c. 4. h. t. Bonacin. de Censur. D. 7. p. 2. n. 34. Mol. & alii contra Salmant. & alios.* Irregulares sunt debilitati. Scilicet, qui nullo membro carent, sed aliquid habent inutile ad illius proprias functiones; ut sunt oculus cæcus, auris surda, crus contractum, manus arida, vel manca, vel perpetuò tremula, præcipue si subvertendi sanguinem immineat periculum. *Barb. de Offic. Episc. alleg. 42. n. 17.* Cæcus, monoculus, cocles, vel luscus, irregulares sunt; sive careant oculo dextro, sive sinistro, qui *Canonicus* solet appellari, quia ipso præcipue Canonem Missæ legimus; cum Jus Canonicum talem distinctionem non faciat. *C. fin. D. 55.* Idem est, de lippis, quorum, talis sit lippitudo, ut horrorem causet. Qui pupilla oculi caret, vel caret visu in oculis, licet oculos integros habeat irregularis est. *C. fin. D. 55.* Balbus, balbutiens, vel blasus, qui tardè, & impeditè loquitur, vel qui è contra linguam præcipitem habent, non sunt irregulares, nisi hoc vitium tale sit, ut non sinat eos perfectè loqui, aut verba explicare. *Barb. de Offic. Episc. all. 42. n. 25.* Surdaster non est irregularis; sed tutius esset, dispensationem petere à Pontifice: quando hoc vitium notabile est. Si mutus, vel surdus sit, utique erit irregularis. *Can. 77. Apost.* quod si surditas post ordinationem adveniat, non impedit Missam privatim sine Ministro celebrare; & quamvis non sit necessaria, utiliter tamen petitur dispensatio. Imò dicendum censo, quod debet adhiberi Minister, ut supponit *Suar. de Censur. D. 51. sect. 2. n. 13.*

271. 4. Nequeunt ordinari deformes, qui scilicet, etiam sine aliqua mutilatione, vel ægritudine, notabilem habent deformitatem per excessum, vel defectum alicujus membri, ita ut sine horrore, indecentia, aut risu conspici nequeant. *C. 2. h. t. L. 25. tit. 6. p. 1. ibi: Fuerae ende si fuisse aquella mengua de manera, que se ficiese gran feadumbre. Suar. de Cens. D. 51. sect. 2. ex n. 14.* Hinc irregulares sunt, qui carent auribus, vel naribus, vel ha-

bent oculos nimis deformes, vel si facies notabiliter deformis sit, vel coloribus maculata, vel deturpata vulveribus, & cicatricibus; vel, qui monstruosi sunt, ut Gigantes, vel Pygmaei, aut habentes duo capita, vel tria brachia; Hermaphroditii, etiamsi sexus virilis prevaleat. Qui caret visu in oculo dextro non est irregularis, dum oculos integros habeat, secus si careat visu in sinistro ob deformitatem, quam talis defectus inducit in legendo. Canonem, nisi fortè tanta perspicacitate vigeat dextere, ut sine deformi facie conversione ad Missale possit quis Missam legere. *Suar. de Censur. D. 51. sect. 2. n. 15. Barb. de Offic. Episc. alleg. 42. ex n. 27.* Etiam sunt irregulares notabiliter gibbosi, & curvi. Ille verò, qui habet sex digitos non est irregularis. *L. 25. tit. 6. p. 1.* Et tunc potest ipse digitum, vel aliud membrum superfluum impunè amputare. *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 42. n. 23.* Color non inducit irregularitatem ac proinde Mauri, & Aethiopes possunt ordinari. *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 42. n. 26.* & in his Indiarum Regnis, Indi, qui sunt fuscii, & Malabares, & Canarines, qui sunt nigri in Sacerdotes promoventur, ut quotidie in his Insulis videmus.

272. 5. Ob morbum irregulares sunt leprosi, qui ob scandalum, & abominationem Populi non ordinantur. *C. 4. de Cleric. egrot.* idem est de laborantibus scabie, vel chragra incurabili. Similem irregularitatem habent abstemii, id est, qui vinum non bibunt, & qui faciliè vomitum patiuntur, amentes, furiosi, epileptici, seu morbo caduco laborantes, paralytici, phrenetici, lunatici, arrepticii, seu possessi à Dæmone. *C. 3. c. 4. c. 5. D. 53.* nisi hi integrè convalescerint, ad eorum experientiam unus annus conceditur, & arbitrio Episcopi determinatio relinquuntur.

273. Solus Papa, & raro quidem, in hac irregularitate ex vitio corporis proveniente, dispensat non solum quando Sacri Ordines, sed etiam quando prima tonsura est suscipienda. *C. 59. D. 50. l. 64. tit. 3. p. 1. Et ibid. Greg. Lop. Barbos. de Offic. Episc. alleg. 42. n. 58. & 59.* Et ex ejus delegatione Episcopus dispensat cum eo, qui fecit sibi amputari virgilia. Ut in specie *Text. in c. 4. h. t. Barbos. de Offic. Episc. alleg. 42. n. 58.* tamen *Gonz. in d. c. 4. n. 4.* tenet, hanc dispensationem competere Episcopo Jure Ordinario. In dubio quidem: bene dispensat Episcopus, & etiam quando abscisio alicujus partis corporis est occulta. *Ex Trid. sess. 24. de*

Ref. cap. 6. Et post ordines susceptos ad ministrandum in ipsis. Ipsique competit in dubio determinare, an defectus corporis, vel deformitas impediatur, etiam respectu Regularium, ad ordines promoveri. *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 42. n. 60.* Idem iudicium competere dicendum est, Prælati Regularibus exemptis respectu suorum subditorum: quia tale iudicium est quasi sententia ad jurisdictionem pertinentis: maxime si ordinibus superveniat talis defectus: nam si antecedit, est liberum Episcopo, qui ordinaturus est Regularem defectuosum, illum admittere, vel rejicere; etiam post iudicium proprii Superioris. *Suar. de Censur. D. 51. sect. 2. n. 16. Salmant. tr. 10. de Censur. cap. 9. n. 68. & 75. Castropal. & alii.*

TIT. XXI.

De Bigamis non ordinandis.

274. **Q**uamvis neque in Lege Naturæ, nec in Lege Veteri esset impedimentum ad Sacerdotium nuptiarum iteratio, tamen inter Athenienses, & alios Ethnicos solum ad Sacerdotium admittentur Monogami, id est, qui tantum cum una contraxerant, & apud Romanos Vestalis uivira esse debebat. Nam ex nuptiarum repetitione, quamdam incontinentiæ suspitionem inferebant. Ut ex *D. Hieron. Plutarco. Aul. Gell. & aliis* assert. *Gonz. in c. 5. h. 1. n. 6. & 10.* Ad harum Nationum exemplum Apostoli hanc irregularitatem incluserunt, non quidem tanquam promulgatores Evangelii, ita ut Jure Divino sit hoc impedimentum inductum, sed potius tamquam Prælati, & Legislatores Ecclesiastici illud induxerunt. Ita ut hoc impedimentum Juris Ecclesiastici sit, & à Papa dispensabile, ut contra *Turrian. & alios* tenendum est cum *D. Thom. in 4. D. 27. art. 1. Suar. de Censur. D. 49. sect. 6. n. 1.* & habetur expressè in *1. 5. tit. 5. p. 1. Et ibid. Greg. Lop. Apostolus enim. 1. ad Tim. 3. v. 2.* hanc Legem ordinandis imposuit: *Oportet, Episcopum esse unius uxoris virum.* quod clarior, & generalis statutum, & extensum esse ad Presbyteros, & Diaconos, & bigamiam interpretativam, constat ex *Can. 16. & 17. Apostol.* quod postea universalis Ecclesia est amplexata, ut constat ex *c. 14. D. 34.* ibi: *Cognoscamus, non solum hoc de Episcopo, & Presbytero Apostolum statuisse, sed etiam Patres in*

Concilio Nicæni tractatu addidisse: neque Clericum quemquam debere esse, qui secundum conjugia sortitus sit.

275. Hæc irregularitas dicitur Græcè *Bigamia*, hoc est duplex matrimonium: & hinc *bigamia*, & bigami, quos binubus appellant *Justinianus, Casiod. & alii.* Eandem irregularitatem habent trigami, quadrigami, &c. id est, qui tertium, vel quartum matrimonium contraxerunt: Hæc irregularitas provenit ex defectu significationis matrimonii: hoc enim significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, quæ est unica unius, juxta illud *Cantic. 6. v. 8. Una est columba mea, perfectissima mea.* Et quidem erat virgo immaculata: Hanc ergo conjunctionem non potest bigamus, qui suam carnem per copulam cum pluribus divisit, representare. *C. 5. h. 1. c. 2. D. 26.* Cum ergo bigamus defectum in Sacramento partiat, non oportet, quod ipse aliis Sacramenta ministret, ac proinde non debet ordinari; siquidem per ordinationem fit Sacramentorum Minister: præterea repetitio nuptiarum aliqualem incontinentiæ suspitionem generat; expeditque sic suspectos ab altaris ministerio segregare. *D. Thom. in 3. p. q. 66. art. 1. Suar. de Cens. D. 49. sect. 1. n. 4. Gonz. Barb. & alii.* Qui ante baptismum duas uxores habuit, vel unam ante, & post baptismum aliam bigamus est, ac proinde non est ordinandus. *C. 2. 28. q. 3. c. 3. D. 26.* in baptisate enim crimina abolentur; non confederatio conjugii dissolvitur. Contrarium habetur in *C. 1. D. 26. c. 1. 28. q. 3.* in qua Sententia fuit *D. Hieronymus* prædicatorum Textuum Author. Sed omnino prævaluit Sententia contraria, quam tenuerunt *D. August. D. Ambros. & alii*; & sequuntur *D. Thom. in 4. D. 27. q. 3. art. 2. Palud. Soro, & com. DD. Suar. de Censur. D. 49. sect. 6. ex n. 10.* comprobatur. *L. 17. tit. 6. p. 1.*

276. Bigamia est triplex. 1. dicitur vera, quando scilicet, quis successivè cum duabus verè matrimonium contraxit, & consumavit utrumque. Si aliquid autem non consumavit, cum carnem suam per copulam cum pluribus non divisit, non contrahit hanc bigamiæ irregularitatem. *C. 5. h. 1. c. fin. D. 34. l. 35. tit. 5. p. 1.* Qui ante, vel post, vel in ipso matrimonio, cum una; vel pluribus meretricibus fornicatus est, cum non affectu maritali carnem suam cum ipsis divisisset, non incurrit hanc irregularitatem. *C. 7. D. 34. c. 6. h. 1.* Et quidem si olim aliquam irregularitatem incurrabat conjugatus, rem ha-

habendo cum concubina: hæc non ex defectu significationis, sed ex delicto, vel infamia proveniebat. Et sic debent intelligi. *Text. in C. 8. c. 12. D. 34. C. 1. c. 2. D. 33. D. Thom. in 3. p. q. 66. art. 1. ad 2. Suar. de Censur. D. 49. sect. 3. n. 8. & 9.* Nec itidem est irregularis ille, qui duo sponsalia contraxit, etiamsi copula sit secuta sine affectu maritali; nec qui duo matrimonia tantum rata contraxit: nec qui duxit in uxorem alterius viduam, si hæc à primo marito non fuit cognita. *C. fin. D. 34.* Nam bigamia non contrahitur, si non sequatur copula maritali affectu: & quidem perfecta.

277. 2. Bigamia interpretativa dicitur, & contrahitur, cum quis juris fictione, vel interpretatione, duas uxores censetur habuisse, licet verè, & propriè unam solam habuisset: & reperitur in sequentibus casibus. 1. enim in *C. 17. Apost.* cui consonat *C. 15. D. 34.* sic habetur: *Si quis viduam, aut ejusdem accepit: non potest esse Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut ex eorum numero, qui ministerio Sacro deserunt.* *C. 9. c. 10. c. 13. D. 34.* Qui enim cum vidua; quæ cum alio matrimonio consummaverat, contrahit matrimonium, illudque consummat bigamus interpretativa, & irregularis est. *L. 35. tit. 5. p. 1.* similiter est irregularis, qui ducit, & consumat cum corrupta ab alio. Si verò quis ducat, quam ipse corruerat non fit irregularis. *L. 35. tit. 5. p. 1.* quia matrimonium retrotrahitur ad tempus copulæ, sicut ad legitimationem retrotrahitur. *C. 6. Qui filii sint legit.* ac proinde non censetur in plures carnem divisisse. *Suar. de Censur. D. 49. sect. 3. ex n. 6.* Qui ab alio relictam, separatam, vel repudiatam postquam fuit cognita, ducit, & cognoscit: est irregularis, licet secundum matrimonium sit nullum de jure; quia primum obstat ex impedimento bigaminis. *Suar. de Censur. D. 49. sect. 3. ex n. 10. 2.* contrahitur hæc bigamia interpretativa, si quis ad uxorem propriam accedat postquam per adulterium ab alio est corrupta. *C. 11. D. 34. L. 35. tit. 5. p. 1.* nam maritus cognoscendo uxorem suam ab alio corruptam, efficitur maritus corruptæ, & censetur cum corrupta contraxisse. *L. 35. tit. 5. p. 1. Suar. de Censur. D. 49. sect. 3. n. 14.* Si maritus ignorans adulterium, vel si quis contrahat cum corrupta, quam virginem credebat, vel cum relicta ab alio, quam ignorabat conjugatam, & etiam si mulier per vim sit cognita ab adultero; imò & si maritus censuris

cogatur uxori ab alio corruptæ debitum reddere: adhuc in his casibus fit irregularis. Nam hæc irregularitas non ex delicto, sed ex defectu Sacramenti provenit, qui certè in his casibus reperitur. Sic contra aliquos, & quod adulterium ignoratum contra *L. 35. tit. 5. p. 1.* tenent expressè *D. Thom. in 4. D. 27. q. 3. art. 1. q. 3. ad 4. Suar. de Censur. D. 49. sect. 3. ex n. 15. Sanch. de Matr. L. 7. D. 84. ex n. 15. & alii. Lex 35. tit. 5. p. 1.* solum loquitur à contrario sensu, ac proinde non directè probat contra nostram conclusionem: nam ex eo quod maritus incurrit irregularitatem quando scit adulterium, ut indicata lege dicitur; non statim inferitur, quod non incurrat irregularitas, quando ignoratur à marito adulterium. At verò per fornicationem viri non incurrit bigamia. *C. 6. h. 1.* quia magis indicens est in femina hic defectus: nam ducere corruptam ab alio, aut cohabitare cum uxore, quæ adulterium commisit, est quadam infamiae species. Ac propterea aliquod opprobrium Ordini Clericali inferitur: quæ ratio in viro non militat. *Suar. de Censur. D. 49. sect. 3. n. 9.* Hæc bigamia incurritur si quis defacto inerat duo matrimonia, vel ambo nulla, vel unum de jure, & aliud defacto, sive simul utrumque, sive successivè, dum tamen utrumque affectu maritali consumet, irregularis fit. *C. 4. h. 1.* etiamsi matrimonium contraxisset illusorie ad extorquendam copulam, quod proinde nullum fuisset ex defectu consensus, adhuc fit irregularis, quia habuit affectum ad duo matrimonia, quæ exterius fuerunt executioni mandata. *L. 35. tit. 5. p. 1. ibi: E esto es por que mostrò, que avia voluntad de casar, o por que complió el casamiento, quanto en el Jue, è non fino por el.* *Suar. de Censur. D. 49. sect. 2. n. 10. Salmant. tr. 10. de Censur. cap. 9. n. 27.* contra alios.

278. 3. Species bigamia dicitur similitudinaria, quia potius quam bigamia est bigamiæ similitudo; & contrahitur ab illo, qui post Sacros Ordines susceptos, vel professionem religiosam, matrimonium contrahit, defacto quidem, (nam de jure non potest) & consummat cum unica, & virgine. *C. 4. de Cleric. conjug. C. 1. 1. Qui Cleric. vel vocent. C. 24. 27. q. 1. L. 35. tit. 5. p. 1.* Hi enim duo matrimonia contrahunt, unum spirituale, & de jure; aliud carnale, & defacto. Et propter similitudinem cum contraheptibus duo matrimonia verè talia, bigami dicuntur. Si verò Laicus cum Moniali professâ matrimonium con-